

2023

C O D I C E S

2024

Colloquium istud acerbis suis in Ecclesiam Rom. animadversionibus interpolatum dedit *Job. Foxus* in *Commentar. Rer. in Eccl. gestar.* P. I. p. 80. ex uerissima, ut ait, *Guil. Tyndalli et historicorum narratione*; inseruit item *Actis suis et Monumentis Angl. Vol. I. p. 692.* addito *Thorpium Testamento*, elogio *Martyris*, quamvis de morte ei illata nihil certi adferat, et *of a good Man and blessed Servant of God* hominem persecutus, aliter iudicante *Jerem. Colliero* in *Eccl. History of great Britain Vol. I. L. 7. p. 625.* cuius ultima solum verba adscribam: *I have been the longer upon this Story, to shew the Temper and Complexion of some of Fox's Confessors, and to caution the Reader against taking his Characters upon Content.* Ob exercitiam in ejusmodi Homines severitatem *Lollardos* asseverasse iusto Dei iudicio *Thomam* Archiep. angina sublato, idque, dum Excommunicationis sententiam in *Job. Cobhamum* proferre vellet, video *Biogr. Britan. Vol. I. p. 212.* Ita referunt alii, *Wiclefium* sub ipsam Hostiae in Missa elevationem paralyti percussus loquelam amisisse, et quidem pridie Festi *Thomae Cantuar.*

II. fol. 29. praemisso Indice sequitur *Job. Hussi Tractatus de Ecclesia.* Initium: *Cum quilibet viator debet fideliter credere ecclesiam sanctam catholicam &c.* Ut Codd. variis, et Edit. *Norib. 1558. P. I. f. 196.*

III. fol. 92. p. 2. *Excerpta ex glossa Innocentij tertij super missam et super antecedentia missam.* Primum de significatione nominis *Episcopi et presbiteri.* Deinceps ut plurimum de Vestimentis sacris.

DXXVIII.

Codex chartaceus lat. graec. ⁶¹⁶ Sec. XVI. 4. Folior. 111. nigro, rubroque charactere nitide varians hunc praefert titulum: *Gloriosae Carnis Filii Dei Domini Nostri Jesu Christi aduersus Fridericum Staphylum Joannis Langi Silesii altera sacrarum Literarum atque Sanctorum Patrum confirmata sententiis catholica defensio.* De prima Defensione nil reperio. Secunda haec nostra directa est: *Ad Sacratissimum et Inviictissimum Romanorum Imperatorem Ferdinandum Primum Augustum Pium Felicem Pa. Pa.* Jambo senario et dimetro alternantibus, hoc initio:

*Populi Quiritium Imperator maxime,
Et Pannonum Rex optime,
Boigque gentis, et Silesie meae
Dux Ferdinande prepotens &c.*

Hac

2025

P O L E M I C I.

2026

Hac in Praefatione postquam Divinitati *Jesu Christi* inimicis, multa adtulisset Autor de *Arii*, tandem ad scopum propius accedens ita prosequitur:

*Staphylus eat, Christum et creaturam suis
Inductionibus probet*

Esse, et perennantem Creaturam quidem

Et friuolis et impijs.

Et Deificatum Christi Jesu Dominicum

Negare corpus audeat.

Eat, nocens nocere pergat amplius;

Injurias injurijs

Novis priores strenue multiplicet

Injurious, sordidus

Magis magisque sordeat, donec suam

Iniquitatem impleverit. &c.

Tam ad ipsam hanc *Praefationem*, quam ad *Defensionem* frequentem plenis modiis admensus est *Langus* Patrum Graecorum;

Latinorumque loca in rem, ut rebatur, suam. *Defensionis* hoc initium:

Quid est, quod audio Deus, queso, bone!

Staphylum referre, non creaturam modo

Nunc esse Christum, sed Creaturam fore

Veram futuris usque et usque seculis? &c.

Ad haec infra notatur: *Verba Staphyli* ex epistola quadam eius de *Joanne Lango* ad amicum quendam scripta. Quibus verbis ille *Langum* ad singulare et publicum certamen veluti gladiator aut *Mirmillo* prouocat: Ipse *Langus* viderit, quam rem agat. Carnem *Christi* esse creaturam, et futuram semper creaturam, non Deum, et ut ipse alicubi dixit, Condeum publico certamine, si ita placet, experiatur &c. Atque ut hoc sic *Lango* per eum amicum denunciaretur, petijt. Vides *Controversiae* statum, et

Langum a vero aberrare; qui *Naturas* τὰ Θεωνὰς confundat. PP. fensa, quibus opinionem suam stabilire nititur, excussa et exposita habes in *Controv. Fidei* Card. *Bellarmini* T. I. L. 3. et plenius apud *Petavium Theol. Dogm.* T. V. L. VII. c. 6. ubi Graecorum locutiones Θεοφωτος, Θεοδοξος Σαξξ, Ανθεωτος κρηιακος &c. non in omni rigore prolatae expendantur. Haussisse *Langum* errorem e conterranei sui *Gasp. Schwenkfeldii* Scriptis conjici quidem possit. Agunt de *Vi*ro *Jurisconsulto*, non *Theologo*

F f f 2

Fyrebe-

Freberus in *Theatro Vir. erud. Adami* in *Vit. Jct. Cunrad.* in *Silesia Tog. Sinapius* in *Curiosit. Siles.* Defensionisque nostrae meminere, velut etiam *Gesnerus* in *Bibl.* Scripta est illa Senariis perpetuis sat pedestribus, et ad calcem adlocutione ad *Christianum Lectorem* terminatur, cui subiectus Annus 1561.

DXXIX:

322 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. f. cujus Thecae anteriori impressus est annus 1560. Folior. 410. hunc praefert Titulum: *Ad Sereniss. ac Christianiss. Boemorum Regem. Dium Maximilianum Archiducem Austriae Ducem Burgundiae &c. Pauli Scalichij de Lika, Comitis Hun: Bar: Skra: S. T. Doct: Enarrationes, tam ueteris quam noui Instrumenti, in ordinem alphabeticum redactae, quo facilius studiosus rerum diuinarum uestigare et eruere quod uelit queat.* De Viro hoc *Zagrabiae* in *Croatia* a. 1534. nato, multiplicis, eaeque praecocis, sed indigestae doctrinae, animique inconstantis, *παροξοφιλης*, et in nova prurientis plura congesti in *Hist. Typogr. Viennens.* vernacula p. 536. *Enarrationes* has post imperatum sibi a Benefactore suo *Ferdinando I. Imp. Vienna* abitum adfectasse videtur; neque enim vel literam A. exhauriunt, 5. solum Capitibus de vocabulo *Abba*, de *Abalienatis*, de *Abditis*, de *Abductis*, et de *Abeffe* tractantes,

in quibus, ut linguae Hebr. Graecaeque peritiam non desideres, ita in *rasos Daemones*, in *sanctimoniam Romani Idoli* et *pietatem Jesuitarum satellitum eius*, in non pauca de ipso Principe temere effutita incurras, quae utique non consonant iis, quibus post suam e *Prussia* proscriptionem purgare se conatus est in *Opusculis Coloniae* a. 1570 — 71. editis.

II. fol. 24. Ejusdem *Pauli Scalichij de Lika Comitis Hun: Bar: Zkradini. S. T. Doct. Olistus seu Aetiologiae, uariarum nempe dubitationum et decisionum Libri III. quorum primus Miscellaneorum difficultates: Secundus plurimos Encyclopaediae locos exponit. Tertius uero Sphaericam disciplinam enarrat, in transitu Haidelbergen. obiter dictati.* Nesciebam, dum loco *suprac.* de *Scalichio* agerem, eum *Heidelbergam* quoque accessisse, sed *Tubinga* continuo in *Prussiam* abiisse rebar. Verum mox e *primo Aetiologiae* nostrae C. patet, eum *Tubinga Heidelbergam*, et hinc *Wittebergam* petiisse, quanquam in mandatis *Ferdinandi* haberet, non nisi Catholicam quandam Academiam inuisere. *Aetiologia* porro haec *διαλογικως* exarata est, *Symbulo* et *Drymo* eruditionis cupidis, *Olisto*, qui *Scalichius* est, confertis eam modis admetiente. Praemittitur *Index Capp.* omnium III. *Librorum*, quae numero 126. sunt, et omnes paene disciplinas pervadunt. Indicabo selectiora. L. I. c. 3. *De hominibus*